



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

Jn Caput XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

no modo quiescere, quam sista vel friuola de sanctis Dei scribere, praesertim dum opus non habent falsis laudibus exaltari; qui signis & prodigiis meruerit decorari. Hac de tam glorioso miraculo dicta sufficiant. Et in euidentis huius signi testimonium ipsius S. Henrici imago ante ianuam monasterij ad dextrum latus penes chorum S. Georgij ex pillo vno subposito, ex opposito imaginum Ada & Eua lucide apparet.

Alij tamen, & in his Nouatoris Carionis Chronicon, aliam huius cognomenti causam reddunt. Accipe siue Carionis, siue Melanchthonis, siue Peuceri verba: *Ingressus in Italiam, Arduinum duobus magnis praeliis victum trucidauit. In eo bello captum Henricum; & cum, deceptis custodibus, elapsus de muro se praecipit asser, luxato fractioe crure, postea claudicasse scribit; vnde cognomentum Claudi habuit. Idem ferme scribit Crancius lib. 4. Saxonicae, cap. 32. vt & Martinus Hoffmannus in Annalibus Bambergensibus; qui tamen prioris etiam sententiae meminit, eamque Nonnosio Monacho & Nauclero Nonnosium secuto, attribuit; subditq; haec verba: *Integrum lectori sit, quod horum velit credere. Claudicasse tamen Henricum non natura vitio sed casu quodam, certum est. Huius rei illustre adhuc hodie ante portam orientalem Basilicae cathedralis, in dextro latere, e regione Adami & Eua, cernitur indicium, lapidea Imperatoris statua, cuius sinistro pedi, dextro breuiori, lapillus artificiosè substratus iacet. Ex quibus lacuna quae est in iam recitata historia aliquo modo suppleri potest: & hinc iterum argumentum sumitur, Nonnosium Monachum esse huius de vita S. Henrici lucubrationis parentem.**

In Caput XXIII.

In honore S. Stephani) Leo Ostiensis lib. 2. cap. 47. scribit, à Benedicto Pontifice Templum in honorem S. Georgij fuisse consecratum. De quo vide Baronium Anno M. XIX. Sed rectè noster Auctor; nam Ecclesia S. Georgij iam antea Anno Domini M. XI. dedicata fuerat per Ioannem Patriarcham Aquileiensem, vt ostendit Hoffmannus in Annalibus Bambergensibus.